Fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam Famati Fid. nobis dilecti queritur Honesta Margaretha Cieckowa Famati Joannis Ciecko consulis Premislien. consors quod iustitiam de Honesto Valeriano Bartinski qui iam vulneribus cruentis et enormibus multisque alijs iniurijs affecisse dicitur a Fid. vestris consequi nequeat. Mandamus itaque Fid. vestris, ut quamprimum literis presentes ad manus Fid. vestrarum pervenerint eidem Margarethae Cieczkowa de praefato Valeriano indilatam iustitiam administrent pro gratia nostra et officij Fidelitatum Vestrarum debito Datum Cracoviae etc.

Saluus conductus

Sigismundus etc. Significamus etc.

Nos certis de causis accepisse in patrocinium et protectionem nostram Regiam Nobilem ac Famatum Stanislaum Chmielicki Nobilis ac Famati Petri Chmielicki civis Cracovien. filium Mich. cum cui securitatis causa saluum conductum nostrum Regium a vi et potentia tam officij Capitanealis quam Magistratus civilis Civit. Leopardien. et Casimirien. omniumque personarum iurisdictioni civili subiectarum ad spacium sex mensium concessimus concedimusque literis hisce nostris quibus fretus tuto et secure ac sine perhorrescentia quarumuis personarum in Regno et dominijs nostris versari negotiaque sua licita et honesta peragere possit personareбusque ipsius omnibus sub nostra protectione saluis permanen. Ita tamen ut omnibus de se conquerentibus in foro competenti sese iustificet. Tum quoque ut beneficio hoc nostro non abutatur geratque et ipse sese pacate contra omnes rixarum et contentionum occasionem det et praeterea ut illis a quibus potissimum vim metuisset ad notitiam id officiose deducat et intimet. Quod omnibus quorum interest praesertim vero Magistratibus locorum quorumuis notum esse volumus Mandantes ut requisiti a praefato Stanislao Chmielicki, vel ipsius mandatario has literas salui conductus nostri publicari praeconis voce ac ad omnium notitiam deduci curent. Firmiter omnibus ne quid contra Praenominatum Stanislaum Chmielicki vi et armis attentent, sed iure mediante de omnibus controversijs cum illo experiantur sub poenis in Violatores salui conductus nostri sancitis In cuius rei fidem etc.

Mandatum

Sigismundus etc.

Spectabili Joanni Cipser Iuris supremi Magdeburg. Castri Crac. Scabino Fid. nobis dilecto gratiam nostram Regiam Spectabilis Fid. nobis dilecte Intelleximus Famatum Ludouicum Fiora Italum ex speciali nostra permissione certam summam pecuniariam Ducentorum quinquaginta flor. quam olim Georgius Bandrata apud Fid. tuam habuit in certo suo debito arrestasse eiusque Aresti vigore

omnem processum iuris ordine usque ad gradum intromissionis in eandem
Summam obtinuisse. Quoniam autem idem Lodovicus Fiora conqueritur
Fide. Tuam eam Summam illi extradere nolle propterea quod rigore Pri-
vilegii Sui Jurisditioni civili non pareat Lodovicus autem Fio-
ra apud Judicium Civile per homines possessionatos pro impetitione qua-
rumcunque personarum satisdare coactus est Fideli Tuae. T Manda-
mus ut eandem pecuniam eidem Lodovico Fiora adiudicatam et
hominum possessionatorum cautione assecuratam eidem Lodovico iure vi-
ctori extradat neque hominem extraneum occasionem ullam relinquat de se coram
nobis conquerendi. Pro gratia nostra officiique sui debito

Litera Moratoria

Sigismundus etc. Significamus etc.

Quod cum nobis certo constaret Egregium Stanislaum Popie-
larczik Artium Baccalaureum una cum uxore sua in magnam adver-
sae fortunae inclementiam nulla ipsius culpa verum multis et variis
adversis casibus maxime autem ob conflagrationem domus suae
ac difficultatem exactionis debitorum suorum a plerisque homini-
bus extraneis incidisse ita ut iidem coniuges creditoribus suis
solvendo esse non possent ad nosque in hoc fortunae suae naufragio
supplices confugerent faciendum nobis esse existimavimus Ut rebus
afflictis utriusque illorum subveniremus Ideo memoratum Stanum
Popielarczik Uxoremque eius in patrocinium et protectionem nostram
Regiam susceperimus suscipimusque per praesentes eisdemque literas
nostras Moratorias damus et concedimus atque illos ab impeti-
tione molestatione quorumvis creditorum ratione quorumcunque de-
bitorum per eos contractorum ad decursum unius anni a data
praesentium computandum liberos esse volumus Itaque literis hisce no-
stris securi ubique in Regno et dominiis nostris tuto versari nego-
tiaque sua honesta et licita agere poterunt, neque ante decursum
unius anni cuique debitorum nomine respondere tenebuntur perso-
nis rebusque illorum per omnia salvis Volumus tamen ut praesens
nostra concessio eisdem Stano Popielarczik Uxorique eius nonnisi
adversus homines conditionis et Jurisditionis civilis non au-
tem contra nobiles serviat Illique interea bona sua in damnum
creditorum non dilapident cum dicto omnium quorum interest no-
titiam deducimus Simulque Mandamus ut literas et concessionem
nostram praesentem in omnibus observent ab aliisque observari curent
In cuius rei etc.

Confirmatio literarum

Sigismundus etc. Significamus etc.

Exhibitas nobis esse nomine et ex parte Nobilium Martini
Haz et Annae coniugis ipsius literas Pargaminaeas infrascriptas